

Y b
1741



(178. 2.575^b)

Vl. 4^o = 93^a



NOVA CONSTITVTIO
QVAVNDAM LL. CLASS. ET
*Lectioꝝum in Gymnasio Gothano ad
incrementum hujus, & celebritatem;*

AUTORITATE

ILLUSTRISS. P. A C
DN. DN. IOHAN. CASIMIRI,
DVCIS SAXONIÆ, LANDGRAVII
THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ,
Dn. nostri clementis. Latino-germa-
nicè facta & publicata:

Neue Anordnung

Etlicher Gesetz / Glas / vñnd Lectioꝝ in der Fürstlichen
Land Schul Gotha zu mehrer auffnehmung / vñnd
fortpflanzung / auff gnedigen Befehl

Des Durchläuchtigen / Hochgebornen
Fürsten vñnd Herrn / Herrn Johann Casimir /
Herzog zu Sachsen / Landgrafen in Thüringen / vñnd Marg-
grafen zu Meissen / vnser gnedigen Fürsten vñnd Herrn /
Deutsch / vñnd Lateinisch zusammen getragen /
vñnd verfasst.

Coburgi in Ducali Typographia, Anno
M DCVI.

Excusa.

Cariss. & præsensiss. Viro Dn. Julio
ARM J. H. C. industriosiss. suo fratri
mittit Wilkeius, autor. p.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

657
sa
ac
L
In
R
C
m
ta
lic
te
P
G
V
m
t
re
th
p





BENEVOLO LECTORI S. D. P.

S nullus unquam Magistratus non Dominus, sed Pater Patriæ, non tyrannus, sed parens subditorum, non persecutor, sed nutritor Ecclesiæ, non devastator, sed fundator propagatorq; & beneficum quasi quoddam, ac salutare Numen scholarum extitit; certè is est Illustrissimus Princeps, ac Dominus D. IOHANNES CASIMIRUS DUX SAXONIÆ, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ Dn. noster clementissimus. In hoc enim unum omni contentione incumbit, ut non solum se vivo, à sua Regione quàm longissimè omnis exulet BARBARIES; dominetur cum Christianâ PIETATE virtus, sapientia, integritas, atq; ea subjectis omnia; quæ ad bene, beateq; vivendum, si tale quid in humanis est, suppetant: Verùm etiam nihil nec in votis potius habet; nec in curâ majus, & sollicitudine positum, quàm ut eadem ad omnem transmittantur posteritatem. Quò sine illustriss. atq; ut Xenophontæo illo utar, Θεοφιλέστατος Princeps non solum in Ducali sua sede Coburgi, sumtibus non exiguis Gymnasium è fundamentis excitavit, extruxit, locupletavit, aperuit: Verum etiam nostrum additamento auxit, & amplificavit munificentissimò. Quò autem diviniora hæc ab ipsius Celsitud. in subditos proficiscuntur beneficia; hòc ea majori pietate, cura, studio in manus tradita asservare, & quasi quibusdam fidei arculis, sanctissimum illud depositum, atq; thesaurum preciosissimũ custodire cum omnes annitantur; tum illi præcipuè, quibus & à DEO mandata est, & designata à Celsitud. ipsius hæc provincia,

vincia, ut Ecclesiarum Episcopi sint, Scholarum Ephori, ejus memores,
quod Sophocles alicubi scriptum reliquit:

Ἀπὸνθ' ὁ μακρὸς, καὶ ἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' αἰθλα, καὶ Φανέντα κρύπτειται,
κοῦκ ἔς' ἀελπίον οὐδέν

Hoc, quantum in nobis est, & munere nostro, ut daremus effectum, Simul
& nostri Gymnasii celebritatem, atq; adeo juventutis salutem juvare-
mus, Leges innovavimus, pauculas necessario addidimus, Lectionum,
Classium Præceptorum numerum, frequentia, & multitudine discipulo-
rum commoti adauximus, & ita instituimus, ut, si ad nostrarum inferio-
rum Classium præscriptum Provincia, & municipii hujus urbium, vico-
rum, & pagorum ludi dirigantur, elegans harmonia, præclarum discen-
tium compendium, & utilitas sit isthinc secutura maxima. Quia autem
privata autoritatis esse non potest, quod prodesse debet publica; Illustriss.
P, ac nutritoris nostri benignissimi censura hoc nostrum submisimus pro-
positum: qui pro sua quâ est erga hanc scholam clementissimâ voluntate non
solum ratum, firmumq; esse, atq; Ducali Typographiâ describi jussit; ve-
rùm mandat etiam ut ad hanc quasi Cynosuram & hujus Gymnasii Ma-
gistri, & in hac sua Celsitud. subjecta Provincia, Ludorum moderatores
in erudienda, formandaq; juventute omnem curam labores, & industri-
am gubernent, nihil dubitantes, quin ad DEI gloriam, Ecclesiæ salutem,
Rerum publ. commodum, sempiternum ipsius Celsitud. decus omnia sint
successura, Vale: Gothæ ipsis Calend. Febr. Anno Christi 1606.

Scholarchæ, & Rector
Gymnasii Gothani.

An



An den günstigen Leser.

Ster vieler hoher Obrigkeit / so sich ihrer
Untertanen / nicht als Herrn / oder Tyrannen /
sondern als Väter angenommen / die Christliche
Kirchen nicht verfolget / sondern der gepfleget /
Klöster / vnd Schulen nicht verwüestet / sons-
dern erhalten / vnd erbawet haben / ist auch der
Durchläuchtige / Hochgeborne Fürst vnd Herr / Herr Johann
Casimir / Herzog zu Sachsen / Landgrafe in Thüringen / vnd
Marggrafe zu Meissen / vnser gnediger Fürst vnd Herr zusörderst.
Denn dieses lesset seine F. G. ihr vnter allen Fürstlichen / Hoch-
wichtigen sachen vornemlichen angelegen seyn / daß alles Barba-
risch / vnd Cyclopisch leben / vnd wesen / wie bißhero / so auch ferner
bey aller posteritet, vnd nachkommen möge / verhütet / vnd vermiez-
den werden / so wol die Untertanen bey reiner / Christlicher Reli-
gion / vnd Gottesdienst / auch bey guter gedeylicher auffnehmung in
Friede vnd Ruhe bleiben. Zu welchem ende ihre F. G. nicht allein
die Land Schul zu Coburg gestiftet / mit ewigwerenden Eynkom-
men bewiedemet: Sondern auch dises orts Schul außangeborener
Fürstlicher mildigkeit mit gnediger Zulag verbessert / vnd erweitert:
Weil dann nun ihre F. G. dise hohe Beylag / vnd thewren Schatz
zwar dem ganzen dises orts Lands / zusörderst aber vns / die wir von
Gott dazu beruffen / vnd von derselben bestetiget seynd / zu trewer
hand

hand befohlen: Als will vns nicht anders gebühren/dann daß wir/
nach besage vnser Gewissens / dessen wir Gott dem Herzenkündi-
ger rechenschafft geben müssen / vnnnd nach erforderung vnser End/
vnd Pflicht damit wir ihrer F. G. zugethan/vnd verpflichtet seynd/
derselben fortzupflanzen / vnnnd außzubreiten sorgfältig in acht neh-
men/in erinnerung was etwa von Griechischen / vnd Heydnischen
Poeten geschrieben stehet: Daß man sich so bald eines dinges köns-
ne durch nachlässigkeit verlustig / als theilhaftig machen. Haben
demnach zu mehrer auffnehmung des Gymnasii allhert / vnnnd der
Jugendt zum besten etliche Gesetze desselben erneuert/etliche wenig
auß noth darzu gethan / die zahl der Lektion, Classen, vnnnd Præ-
ceptorn, wegen der Discipell menge/vermehrret/vñ also angestellet/
daß/wann sich andere Schulen dieses Ampts/ vnnnd Orts darnach
richten / eine der studirenden Jugendt nützliche / vnnnd erbawliche
gleichförmigkeit kan gehalten werden. Wiewol nun dises zu publi-
ciren nicht bey vns: Sondern/weil es ein allgemein werck/bey ihrer
F. G. gestanden: So haben deroselben wir es vnterthenig heimlich
gestellt/vnd zuerkennen gegeben. Darauff sie auch solches gnedig
bekrefftiget / Vnnnd nicht allein in der Fürstlichen Typographie
drucken lassen: Sondern auch anbefohlen / daß sich beydes dieses
Gymnasii, Vnd dann anderer / des Orts ihrer F. G. Vnterthan-
nen Landes Schule / Præceptores mit besonderem fleiß darnach
richten/vnd halten sollen/vngezweyfelter hoffnung/es werde solchs
zu Gottes Ehre/erbawung Kirchen/vnd Schulen/ gemeinen nutz
zum besten / zuförderst aber ihrer F. G. zu Ewigwehrendem Ruhm
gedenlich / vnnnd ersprießlich erscheinen / Geben zu Gotha den 1.
Februarii, Anno 1606.

Scholarche, & Rector
Gymnasii Gothani.

LECTIO-

LE

AL

Cate

Pfalte

Nom

Ezde

Præc

Cate

Gram

Fabu

Secu

Lib.

Gno

Libe

Dict

Gram

Epis

Ioh.

Con

Fab

Mu

Epis

ÆG

Gno

Gra

LECTIONVM CATALOGVS

SEXTAE CLASSIS.

Alphabetarius libellus Latino germanicus.
Donatus Germanico latinus.

Catechismus Lutheri Scholæ Gothanæ.

Psalterium Germanicum.

Nomenclator Georgii Kilii.

QVINTAE.

Eædem &

Præcepta Grammatices Scholæ Gothanæ.

QVARTAE.

Catechismus.

Grammatica.

Fabula Æsopi: Camerarii.

Secunda pars Nomencl. Georgii Kilii.

Lib. 1. Epistol. a Sturmio selectarum.

Gnomologia. M. Ioach. Zehneri.

Liber Evangeliorum Lat.

Dictorum libellus M. Iohannis Fabri.

TERTIÆ.

Grammatica pro Schola Gothana.

Epistolarum Ciceronis. 1. 2, & 3.

Ioh. Lud. Vivis Dialogi.

Compendium Græcæ Linguæ Golii &

Fabulæ eidem conjunctæ.

Musices præcepta Snegalsii.

Epitome Dictionarii: Kilii.

Æsopi Fabulæ: Camerarii.

Gnomologia Zehneri.

SECUNDÆ.

Grammatica Latina Philippi.

Psalmo:

Pſalmorum Paraphraſis, Buchanani.

Epistolæ Ciceronis minores,

Dialogi Lud. Vivis.

Grammatica Græca Golii.

Mufica Snegafſii.

Mufica Practica Freigii.

Sethi Calviſii.

Terentiæ Comœdiæ.

Sententiæ Theognidis.

Epistolæ Ciceronis ad Familiares

Eclogæ Virgilio.

Plutarchi libellus de Puerorum institutione,

Ovidii libri Elegiaci.

Evangeliorum Paraphraſis Poſſelii.

Præcepta de moribus Camerarii.

De Rerum & verborum Copia Eraſmi.

Arithmetica.

Geometria.

P R I M A E.

Dialectica Philippi, & Rami.

Officia Ciceronis.

Hebræa Grammatica Blebelii.

Virgilius.

Buchanani Pſalterium.

Horatius.

Partitiones Oratoriæ Ciceronis.

Ciceronis vel Mureti Orationes.

Iſocratis Orationes, vel Demosthenis.

De quatuor Monarchiis Sleidani.

Hiſtoriæ ſacræ Fabricii.

Homerus.

Hafenrefferi compendium Theologicum.



S E X T A E T I N F I M A
C L A S S I S.

POST QUAM quadriennis, vel quinquennis, aut etiam sexennis magistro, & Præceptori, creditus est puer; minimè enim consultum est, imò verò multis modis noxium eâ ætate puerum Germanicæ prius Scholæ mancipari; Tradi autem nec citiùs, nec debet seriùs, Sturm. de lud. litt. rectè aperiendis c. 15. sextæ mancipetur classi; in quâ ducatur, doceaturq; unâ hâc semper methodò, & ordine per integram septimanam.

I N G E N E R E.

I. D. Hieronymus, Epistolâ ad Gaudentium, præclare dixit de puerorum institutione: Vt aqua in areolâ digitum sequitur præcedentem: Ita ætas mollis, & tenera in utramq; partem flexibilis est, & quocunq; duxeris, trahitur. Tradat ergo initiò Præceptor, Linguæ, & Spiritus, & vocis moderationem, & caveat, ne quid, quod putidum, obscurum, exanimatum, inflatumq; gravius sit, exprimatur.

II. Vox enim, quæ in pueris formetur, non adolescentibus, aut juvenibus, necesse est, lenis, non aspera, spiritus plenus, non anhelatus, sonus pressus, & æquabilis, non vastus, aut hiulcus, aut rusticus esse debet.

III. Nec attendat solùm ad pronunciationem latinam; sed & Germanicam, in quâ sæpe-numero publicè corrigenda sunt multa, quibus privatim vulgi consuetudine peccatur.

IV. Morum etiam hic curam agere omnino decet: Moneat ergo fidelis magister; sed deprehensos quoq; castiget pueros, ne domi petulantiam exercent, neve per plateas discursi-

B

rent;

rent; scholam justò frequentent tempore; ingressi tranquille
sedeant; exeuntes domum rectâ petant, sine vociferatione, tu-
multu, lusu. Ad sacras cæremonias, conveniunt frequenter sin-
guli, sunt modesti, & pii, ne, qui de populo, cum introspicere
chorum totum possint, offendantur, & quod à pueris peccatur,
præceptori imputetur.

I N S P E C I E.

Horis Antemeridianis.

I. Auspiciam Christo duce, à Catechismo Lutheri sit, quem integrum unâ vice sine interpretatione recitent Germanicè; nam benè appellat *D E U M*, qui materna voce appellat benè, Sturm. Epist. Clafs. 1. is sit brevis, inquit idem de litt. Lud. rectè aperiend. c. 15. ut statim transitus fiat, Et ad singula capita sistantur, producanturq; semper ordine pueri, donec absolvatur. Quibuslibet vicibus addantur Psalmi, & dicta, quæ Evangelio Dominiicali inprimis conveniant. Hæc summa esto cura, ne, quod domi didicerunt, eorum obliviscantur publicè.

II. & III. Quia haud raro ingeniosissimi Tyrones vix post tertium annum inchoatarum litterarum rectè legunt: Doceat litterarum figuras diligentissimè, characteres, valores, conjunctiones, sonos; non Latinarum tantum; sed & Germanicarum. Quarum cognitioni inprimis serviant, in infimo ordine Alphabetarius libellus Latino germanicus. Secundo Donatus Germanico latinus. Tertio pro scholâ nostrâ Catechismus Lutheri, qui Germanica Latinis è regione opposita exhibet.

Pomeridianis.

I. Cum Lectio, & scriptura omnino conjungenda, doceat præceptor Litterarum figuras, quoad potest, elegantissimè ducere, atq; repræsentare. Formet pennas, monstret characteres, ductûs delineet tam Latinè, quam Germanicè.

II. Repe-

II. Repetantur à singulis ordinibus lectiones nullo profusus præteritò, licet plus sesquihorâ sit audiendis impendenda.

III. Præscripta, aut proposita ex Nomenclatore Georgii Kilii vocabula duo poscantur, audiantur clarâ voce pronuncian-
da. Huic institutioni, si rectè accommodabitur, quemadmo-
dum omnino debet, *unus annus*, quo & legere, & scribere discet,
detur puero: nec promoveatur, nisi teneat utrumq;

D I E S O L I S.

A meridie.

Quia tempore eò, quod inter examen vernale & autumnale intercedit, inferioribus classibus quatuor, finitis vespertinis in superiori templo cantilenis, schola frequentanda repetendaq; catechesis, & dicta Evangelica sunt: Et suis quilibet eò die præceptor Operibus occupatur; præceptoris hujus classis esto, isti interesse, & præesse repetitioni; Eâq; absoluta cum toto cœtu templum inferius accedere.

Quod sibi dictum putet; sed & sequatur seriò atq; vel sine negligentia suspicione, nisi & munere hoc, & digniore velit excidere promotione.

Q V I N T A C L A S S I S.

AD quintam classem, illis, de quibus dictum est in sexta, jactis fundamentis, prima studiorum progressio, primaq; industriæ fiet exercitatio. Nam qui præmia promotionis expectant, conabuntur, ut partum honorem non perdant: & ad novam laudem viam muniant: Et qui postremi fuerunt, ut ne rursus vincantur elaborabunt, & nitentur pares esse doctioribus, aut etiam antecellere. Sturm. de Litt. Lud. rectè aperiend. cap. 16.

I N G E N E R E.

I. Ergo operam dabit Præceptor, ut eorum omnium accuratior habeatur cura, quæ de Linguæ vocis moderatione &

B 2

pronun-

pronunciatione, in simul & moribus fuerunt in sexta classe, & præscripta, & observata. Nullus hic erit, aut rarus in delicto locus veniæ. Nam ut sapor, quo nova imbuis indurat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt: Ita natura tenacissimi sunt eorum pueri, quæ rudibus annis perceperunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt, atq; bona facile mutantur in pejus, Quintil. l. i. cap. i.

II. Videat ergo magister ne pronunciationem, & morum sanctitatem, quam didicit in illa, dediscat in hac classe discipulus.

Discit enim citius, meminitq; libentius illud,

Quod quis deridet, quam quod probat, & veneratur, ait Flaccus lib. 2. Epist. i. ad August. sub finem.

I N S P E C I E.

Horis matutinis.

I. Et hic à DEO immortalisunt pueris agendi capiendâ primordia. Cicero. l. 2. de LL. Proinde recitentur singulô mane singula Catechismi Lutheri capita unâ cum interpretatione à pueris, Additis insuper Psalmis & dictis nonnihil pluribus. Coniungi hîc quinta, & quarta commodè possunt, & uno labore tolli alter; præceptor verô sublevari molestiâ potest.

II. Fiat transitus ad nominum & verborum paradigmata Classica illa, & generalia adeo accuratè, ut vix quicquam sit. nullâ aut levi tantum præceptionum habita ratione, quin pueris sit flexibile, præter ea, quæ suapte natura non sunt.

III. Tradantur præcepta Grammatices ex libello pro nostra schola planè generalia in nomine, verbô, & pronomine, subjectis ubiq; regulis generalibus, minimè ad speciales, aut exceptiones, deductis.

A meridie.

I. Non est aliena res cura benè ac velociter scribendi.
Nam

Nam cum sit in studiis præcipuum, quòq; solo verus ille profectus, & altis radicibus nixus paretur, scribere ipsum; tardior stylus cogitationem moratur: rudis & confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi, quæ ex his transferenda sunt, labor, Quintil. l. i. c. 2. Virgendum ob id scribendi exercitium sedulò, non solùm quò ad καλλιγραφίαν; sed etiam velocitatem expeditæ, & promptæ manûs. Conjugi hîc quintani, & quartani possunt, & unius præceptoris sextæ classis opera hoc dirigere, & moderari potest exercitium.

II, Exerceantur Paradigmata Declinationum, & Conjugationum, quarum hic deligenda, & proponenda sunt exempla generalissima, interdum plura, si erit opus præsertim pro illis, qui iam plusculum profecerunt. Haud rarò conjugat omnes declinationes, & coniugationes commodis propositis exemplis. Quò modò quam familiares ipsis reddantur Declinationes & Conjugationes, non sine admiratione intelliget præceptor.

III. Ex Nomenclatore supra dicta dentur vocabula, ex priori parte tantum, etsi aliquoties semestri absolvatur, quæ mandent memoriæ, & recitent pueri, sed plura, ut quatuor vel sex ad summum. Quæ diebus Mercurii & Saturni horis ultimis repetat à pueris omnia Magister ut experiatur, quid præstare quilibet possit. Habeatur tamen ratio imbecillitatis eorum, qui non admodum diu classis illius fuerunt cives; ne nimirum severè ab illis exigantur, quæ alios ejusdem classis adultiores oportet alumnos promptè referre.

D I E S A B B A T H I.

A meridie.

Quoties vespertinæ præces in hoc superiori templo habentur, toties Magistri hujus Curia sit muneris interesse illis, & inferiorem chorum cantus choralis, quem vocant ad pulpitem constituere.

B 3

stituere.

stitueret. Turpe enim est præceptorem post principia stare, & scholasticum præesse cantui.

DIE SOLIS MANE.

Si in æde inferiori communio sacræ Synaxeos, quam dicunt, non celebratur; cantui choralis & ante, & post concionem præsit. Qui labor cum mensis spaciolo, semel ipsi sit subeundus; eo libentius eum par est sustinere.

A meridie.

Singulis diebus dominicis in superiori æde Cantum ante & post concionem vespertinam dirigat. Dedecus enim non exiguum est scholæ, & officium, & discipulos illi committere qui non est ex illius collegio.

QUARTA CLASSIS.

UB I ad Quartam tribum ascendit, colligere post vires in genii illa ætas incipiet, & de se aliquid promittere. Cognitæ enim hic cum sunt magna ex parte nominum, verborumq; inflexiones. Sed repetenda hæc subinde sunt, & revocanda memoriæ. Quapropter rectè distribuenda sunt tempora per dies, & horas, ne illorum revocatio sequentium rerum cognitionem impediat.

I N G E N E R E.

I. Morum hic accurata omnino sit, & stricta ratio: in incessu, vestitu, gestu ubiq; conspiciatur decens scholasticum elegantia, & mundicies. Mundæ vestis, inquit Seneca Epist. 93. electio appetenda est homini. Absit ergo à tegumentis omnis fœditas, omnis colorum varietas, & varia commixtio, qua ecquis est, qui non offendatur? Vesanus ille capillorum, & more Procottarum tonsus omnino non feratur; quippe contra naturam, & scripturæ ad versus. I. Cor. II. 14. terribilis, & luctuosus.

II. Matu-

II. Maturè adsint, & ante preces: si qui aut inter precandum, aut post ad properarint, pœna esto *χαμηνία*.

III. Et quia prioribus duabus, ut & posterioribus diebus preces vespertinæ præceptorum quartæ classis cum suis simul & tertianis atq; secundanis habendæ sunt; aut tamen funera, si quæ incidunt specialia cum quartanis & tertianis deducenda, dabit sedulo operam, ut ad sint frequentes, & ad sint modesti, atq; tranquilli; Si quemquam de industria depræhenderit, contra quam decet, petulantem: illius omnino autoritatis est, graviter corrigere impudentiam.

I N S P E C I E.

Hic ordo magnam requirit memoriæ exercitationem. Nam ejuscemodi præcepta sunt quæ traduntur, ut omnia illa teneri memoriâ eaq; perpetuò debeant. Ideoq; non plus proponendum est, quam recordandi vis possit sustinere.

D I E B V S L V N A E E T M A R T I S M A N E.

I. Præmittatur septimanatim hisce diebus destinata in Catechismo pro Schola nostra precatio, unâ cum aliqua capitum Pietatis, ex eodem, parte Latinâ. Sequatur Grammatices pro schola nostra per priora Etymologiæ capita. Nominis & verbi enarratio accurata adeo, ut vocabula, & sensum præceptionum capiant pueri, & memoriæ mandare, & tenere easdem, atq; recitare sine hæsitacione possint. Hic notet magister, quarundam rerum intellectarum loca utilius notari, ut exceptionum, quàm res ipsas statim animo insculpi.

II. Recitatio instituatur eorum, quæ fuerunt proposita; sed ejusmodi, quam, ut dixi, vires, rerumq; natura ferre potest, & quæ horulæ spatiò absolvatur. Nam id imprimis cavere oportebit, ne, quod hac in tribu, propè dixeram, fatale est, studia qui amare nondum possunt, oderint, amaritudinem ex recitationibus
semel

semel perceptam ultra rudes annos aut reformident, Quintil. l. i. c. 5. aut excusso disciplinæ jugo Scholæ valedicant.

III. Præceptiones ad usum transferri, Proponi Fabulæ Æsopicæ, Germanicè reddi, Etymologicè dissolvi, flecti, ac variari verba singula, eaq; rursus conjungi, & unius cujusq; consecutionis ratio tradi, phraseologiæ formari, & adscribi tabulæ omnes debent.

A meridie.

I. Conjugantur ab hujus exercitii præfecto, & quidem in quarta Classe. Sextani enim in sua subsistunt, hujus ordinis alumni cum Quintanis, exerceantur in scriptura ut supra præceptum est.

II. Syntaxis tradatur ita, ne numerosa sed brevis, verbis clara, exemplis aperta sit expositio. Et fiet singularum **R E G U L A R U M** cum memoria, tum usus illustrior, & facilior, si partiantur, & communibus quibusdam judiciis quasi membratim, incisimq; ad generalia capita congerantur.

III. Ejusdem recitatio sequitur per tribus. In super quorundam vocabulorum ex secunda parte Nomenclatoris supra producti.

M E R C U R I I D I E.

I. Præscribatur ex aliquo autorum, quos audiunt, stili exercitium breve, filo orationis plane familiari, ut commode assequi sensum, & sequi reddendo possint. Serio autem imponenda est eis pura argumentorum descriptio, non in chartis, sed libellis ad hunc usum paratis.

II. & III. Emendatio ejusdem sit laboriosa, & sedula. Monstrentur vitia singulis singula, & quidem clarè, diligenter auscultantibus aliis, qui simul ista correctione & admonebuntur, & paullatim addiscent sua ipsi carpere vitia. Et quia ut plurimum ad hoc exercitii genus, tanquam ad Empusam aliquam trepidant,

dant, & formidant tyrones: Est enim per se molesta, idq; principio scribendi consuetudo, ait Sturmus de Lud. Litt. rectè aperiend. cap. 17. alicui: his adjumento sit magister in Germanico primum, deinde & Latinis, monstrata vocum conjunctione, & Phrasium copiâ dictatâ.

DIEBUS IOVIS, ET VENERIS MANE.

I. Posterius Etymologiæ membrum per reliquas orationis partes pari fide, & industria est, ut prius enarrandum. Vbi necessaria omnino deligenda, rejicienda, supervacanea.

II. Memoriâ reddant, quæ mandarunt pueri. Hic crebrò eadem vice revocanda quæ præcesserunt, nec evelli memoria patiendum.

III. Epistolarum à Sturmio selectarum liber primus tantum proponatur, & singulo semestri absolvatur. Vna singulis vicibus ad verbum reddatur, resolvaturq; & unum quodq; verbum ad sua artis Grammaticæ loca reducatur. Loquendi modi, & sententiarum formulæ integræ generibus, casibus, modis temporibus, personis, verbis, nominibusq; vel diversis, vel idem significantibus, vel eodem pertinentibus commutentur, & accommodentur usui, atq; loquendi consuetudini quotidianæ. Hic ita properandum, ut necessaria non prætereantur: ita commemorandum ut nihil, nisi necessarium, exerceatur.

A meridie.

I. Quintil. illud. l. i. cap. 8. non consilium esse, sed præceptum quilibet existimet Magister: nomina declinare & verba in primis pueri sciunt: neq; enim aliter pervenire ad intellectum sequentium possunt. Quapropter cum in καλλιγραφία & scriptura pueri prioribus hebdomadæ diebus satis exerceantur, binæ posterioribus horæ, conjunctis Quintanis superioribus & Quartanis omnibus dentur à præceptore Quintæ Classis inflexionum

C

nomi-

nominum, verborumq; exercitia, sumtis exemplis ex Gnomologia, & aphorismis M. Ioach. Zehneri parte prima, quæ habet profam Orationem, ordine usq; ad litteram. O. Semper uno proposito, quam & memoriæ infigant, & recitent.

II. & III. Horæ eidem tribuantur à Præceptore Quartæ Classis exercitio, conjunctis una hora etiam tertianis; insuper construendarum vocum ratio examinetur accuratè, & sedulo, formenturq; Phrases, atq; tabulæ adscribantur, His reliqui Aphorismi ex eadem Gnomologia usq; ad finem proponantur & recitentur.

DIE SABBATHI.

I. Lutheri Catechismus per singula capita repetatur.

II. Evangelium, unâ cum dictis uno vel altero ex Libello M. Ioh. Fabri proponatur, reddatur, examinetur.

III. Instituat cum aliorum, tum verò in primis aphorismorum per Septimanam enarratorum examen. In quo, qui industrios se, & sedulos exhibuerint, promoveantur; castigentur verò qui negligentes.

A meridie.

I. Quoniam pietatem finem statuimus studiorum: id enim est hominis officium, in eoq; solo summa rerum, & omnis beatæ vitæ ratio consistit, Lactant. l. 6. c. 1. ; ecquæ vesania est, & impietas sacra negligere?

πρωτα θεον τιμα ——— ———

dixit Ethnicus. Ecce Christianus, in media quasi Pietatis officinâ positus, divinæ opis, & Spiritus, *sine quo nec sciri quicquam potest, nec explicari*, Lactant. inibi, indignus, Dei cultum postponit omnibus? ô cœcitatem! In id igitur unicè incumbat Magister, ne sacra tam frigidè habeant, spernant leviter, negligant facile pueri. Nihil sancta, & singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quàm

quàm solam innocentiam; Cujus ne expers cum discipulis sit præceptor ecquid est, quod tantopere cavebit? Modestiam autem, & silentium & attentionem summam esse inter sacra oportet; imprimis cavenda omnis populi offensio: nullum enim opus DEI quantumcunq; exequi segniter, & frigidè decet, inquit Lud. Vives. de Rat. Stud. f. 4. *Imaginem enim honestæ disciplinae juvenus præ se ferre debet.* Ornamentum non minimum civibus adfert liberorum modestia, sanctimonia, studium: Dehonestant Rempubl. qui secus quàm deceat, faciunt.

II. Amplius: si preces vespertinæ habentur in æde D. Margaritæ sacrâ, hujus curiæ præfecti est, illis non tantum interesse; verum etiam alterutri, & inferiori choro, quo ad disciplinam, & cantum præesse.

DIE SOLIS MANE.

Quoties Missa, quam pie & sine superstitione dicimus, in inferiori æde celebratur; hujus pariter Classis magistri est post contionem cantus quasi remigem esse, ut ex Quintilianò loquar.

A meridie.

Singulis verò diebus Dominicis in precibus vespertinis eadem in æde inferiori choro idem præerit Magister.

Hæc hujus Curia & Præceptoris ejusdem ratio, & officium est. Quod, si summam præceptoris virtutem esse, FIDEM, cogitarit, dubium nullum est, quin summa administraturus sit fidelitate.

TERTIA CLASSIS.

NON ergo dubium est, quin consequatur, puer, quod præcipimus hætenus, ut Generalia latinæ Orationis teneat præcepta; si ingenium, studiumq; non desit, & si recte atq; hac informetur ratione. Nunc ingredi eum in locum debet, in quo educantur, quibus Latinæ & dilucidæ Orationis præcepta specialia,

atq; exceptionibus astricta, Prosodia, Græcæ Linguae & Musi-
ces tradenda sunt principia & rudimenta.

I N G E N E R E.

Hac tribu, tanquam nervo aliquo sanctè habenda, conti-
nendaq; disciplina est, ne lapsa fluat, & dissolvatur in hac, quæ in
inferioribus jam robur sumsisse, atq; rata videbatur. Turpe omni-
no est, quæ in istas non attulerunt, in hac accipere pueros vitia,
ex quibus fiat consuetudo, deinde natura; & discant hæc miseri,
antequam sciant mala esse, Quintil. l. 1, c. 3. In inferioribus vita-
ri oportuit, quod non ferendum in superioribus. Verissimum
enim cothurnati Poëtæ illud. Oedip. Col. v. 386.

Γέροντα δ' ὀρθῶν, φλαῦρον, ὅς νέῳ πέσει.

Et Seneca in Troad. v. 635.

Dediscit animus serò, quod didicit diu.

Proinde modestia, & moderatio, omnium virtutum fulcrum &
vinculum, quæ labuntur, aut diffluunt, nisi ea nixæ, nisi ea nexæ.
Lips. Ep. 69, Cent. 2. ad Belg. in universo sit corpore; in oculis,
ore, capite. Absit species omnis fastidii & contemptus. Absit gesti-
culatio & lascivia. Absit vel etiam suspicio superbiæ & petulan-
tiæ. Adsit serenitas, & quietudo argumentum animi ad eum mo-
dum affecti. Indumentum decorum, in primis favorabile: Inde-
corò nihil fœdus, nihil detestabilius. Desperanda illius salus, quem
desit pudere in vestitu. Plura sub Quartæ Classis constitutione.

I N S P E C I E.

D I E B V S S E P T I M A N Æ P R I O -
R I B U S M A T U T I N I S.

I. Eobanus Psal. 3. v. 23.

*A Domino speranda salus; opus ille salutis
Solus habet;* ——— ———

A Domino igitur, & hîc fit exercitiorum primordium, Preces
his diebus prædefinitæ una cum aliquo Catechismi Latini capite
adjectis

adjectis dictis recitentur ab uno singulis vicibus per tribus pro-
ducto. A quibus sine mora fiat progressus ad Grammaticæ Lati-
næ priorum Orationis partium Declinabilium enarrationem ta-
lem, quæ jam deducatur strictius ad Regulas, & exceptiones,
quas mandent memoriæ discipuli tam fideliter, ut nihil in usu sit
obvium, quod promptè non possint ad præcepta, interrogante
Magistro, referre.

II. Usus frequens omnium Magistrorum præcepta supe-
rat, ait Tullius. i. de Orat. ob id planè necesse est, ut quod præce-
ptis demonstravit, jam ad usum transferat idem magister. Et qui-
dem ex Ciceronis Epistolis minoribus à Sturmio collectis 1. 2. &
3. primus enim Quartæ Classi destinatus est. Et quia cognitioni
Latinæ linguæ, & usui ejusdem imprimis inservire Ioh. Lud. Vivis
Dialogi possunt, ex his quoq; per vices tamen præceptorum usus
demonstretur. Horum Analysis qualis esse debeat abunde est,
sub Quartæ Classis legibus monuisse. Vnum hoc addatur. Con-
suescere hic puer Latino sermone incipiat, & propositas sermo-
ne quotidiano sententias formis latinis commutare discat. Hæc
enim exercitatio rectè stylum præcurrit, ait Sturm. de Lud. Litt.
rectè aperiend. c. 16. Hic morari diu præceptorem nulla causa
est: Absolvat semestri spatio utrumq; libellum & aliquot Dialo-
gos, omissis longioribus. Et quia fastidium parit præcipue adul-
terioribus continuata & proluxa attentio: Varietas vero satietatem,
& offensionem aufert, & habet voluptatem: ut visus oculorum
obtuitu continuo fatigatur; ita quoq; perpetua discantis inten-
tio. Quintil. l. i. c. 3. ait: Necessaria est aliqua certis horis cum Le-
ctionum, tum prælegendium, vicissitudo, & mutatio. Quapropter
suos tertiæ tribus alumnos Magister cum secundanis jungat
Epistolarum & Dialogorum prælectione: Et fiet ut ab his exti-
mulentur illi, ac ne vincantur ab inferioribus, vereantur.

III. Græcas litteras Quintil. l. i. c. 2. simul disci cum la-
tinis,

tinis, & utriusq; Tyronem cito pariter ire posse putat. Idem sentit Sturmius de Lud. litt. recte aperiend. c. 22. Hic ergo pueritia ad eandem transferenda. Huc usq; enim inquit Sturm, de Lud. litt. recte aperiend. c. 21. In Latinæ linguæ elementis, tanquam Romæ, atq; in Latiô versata est: Nunc veniendum ad Græci sermonis consuetudinem, ceu Rhegium, aut ad aliquam civitatem aliam, ad quam Græci negociatores commeent, & in qua ipsi doctores, quasi ejus civitatis cives, quæ commercium cum Græcis habent, utriusq; sermonis sint periti. Ponat autem ejus rudimenta Præceptor non ex alio, quam Golii Compendio istius Grammaticæ præfixo. Hic quoniam multa cum latinis communia eademq; sunt, facilis erit & cognitio, & memoriæ Paradigmatum, Declinationum & Conjugationum, quas si cum exacta, & prompta Lectione ad secundam attulerit adolescens, abunde est.

A meridie.

I. Liberalis inquit Sturmius, loco sæpè dicto, c. 28. imò divinus est *artis Musicæ usus*, 1. Paralip. 15. 16. Eph. 5. 19. tam delectabilis, quam salubris. Aristotel. l. 8. Polit. Hanc nisi à Pueris condiscant discipuli, sero grandiores cognoscent. Scientiæ huius Tyrocinia à M. Cyriaco Snegassio, piæ recordationis, fideliter sunt, & optima methodo conscripta. Ex huius l. 1. tradantur principia, & quidem ab quartæ classis Præceptore.

II. Tum veniendum erit ad eam Grammaticæ partem, quæ Græcis dicitur Syntaxis, Latine constructio. Quam præceptor ita enodet, ut & verba, & sensum, & exempla capiat adolescens, imò reddat promptè interrogatus.

III. Insimul in huius ordinis consortio non tam verborum copia est, quam eorundem intellectus acquirendus. Cui cum in primis Georgii Kilii inserviat Dictionarii Epitome, ex hac singulis vicibus quindecim recitentur vocabula.

DIE

DIE MERCURII.

In proponendis argumentis & corrigendis scriptis utilitas magna posita est, ut plurimum temporis his impendendum. Est enim exercendus crebro Stilus optimus Magister, atq; effector dicendi ait Lud. Vives de Rat. Stud. f. 8. Erucenda autem & hic sunt argumenta ex illis, quæ audiverunt pueri, ut cognoscant unde sint capienda vocabula, & sententiarum formæ. Hic de modo proponendi emendandiq; scripta quicquam præcipere, de Præceptoris industria est dubitare. Ideoq; illud monuisse tantum abunde est: si post correctionem quicquam supererit temporis, illud Gnomologico detur exercitio: Tabulæ nimirum sententia adscriptâ, quam ipsi interpretentur pueri, & aliis deinceps redant formulis.

DIEBUS POSTERIORIBUS

antemeridianis.

I. Post preces, ad alterum progreditur informator Grammatices membrum, partium scilicet indeclinabilium, Industriam, & dexteritatem, huius quoq; desiderat explicatio, quam pro fide sua, qua hætenus erga pueros fuit, quin adhibiturus sit, non dubitatur.

II. Ex Græcis Æsopi fabellis, Golii Gram. Compendio annexis Græcæ linguæ lectionem, & inflexiones exercent.

III. Profodiæ quoq; huius Curiaæ præfectus suis alumnis gradat præcepta, quæ nuper nostræ accesserunt Grammaticæ: Vbi brevitatis sit & perspicuitas necesse est, Exempla & usus harum præceptionum ex M. Zehneri Gnomologiâ Poëtica deducantur.

A meridie.

I. Coniungantur tertiæ huius curiaæ alumni cum secundanis, & primanis in exercitio Musices, ut sub secundæ classis constitutione indicatur.

II, Die

II. Die Iovis tractat præfectus tertiæ classis Profodiaca, una eum eorundem usu ex dicta Gnomologia: Quia autem Poëtæ huius classis Præceptori, die Veneris à 1. ad 2. aliquæ Ovidianæ sunt Elegiæ interpretandæ, ne sua interim quasi Civitas *κένανδρον* *ἡάνανδρον* fit, ut cum Sophocle Oedip. Colon. v. 910. & 932. dicam: Quartæ classis præfectus suâ interea illam centuriâ occupet, & *εὐάνδρον* reddat. Et ut sit, quod agat, ex Zehneri Gnomologia Etymologicum instituat discursum.

III. Recitentur rursus quindecim ex Kilii Dictionarii Epitome vocabula: quomodo non solum singulo semestri absolvetur, sed & insigniter proderit Tyronibus ad Latinæ Linguæ cognitionem.

D I E S A B B A T H I.

I. Exegefin instituat præceptor Catechetica: Quamvis enim ille scholasticæ institutionis per Germaniam parens ne an artifex dicam? Iohan. Sturm. sub Ludi Lavingani v. Curia existimet, Latino, aut Græco Catechismo puerilem non esse onerandam industriam, at qua de causa Sturmi? quod levanda potius, & liberanda omni sit molesto pondere, propterea quod sat pie precetur qui patriâ linguâ precatur; æquè cuiusq; sua patria Lingua Deo grata sit, atq; illæ, quas volumus adolescentes condiscere, hoc ecquis it negatum? Tamen quia sacris quoq; litteris addiscuntur, exercenturq; linguæ, licet Erasmus c. 10. Actorum Apost. videatur aliud velle, sed velit; nec molesta esse Catecheseos illa memoriæ in linguis exercitatio, sed potius vegeta; Ecqua enim re excitetur memoria potius, quam sacra? omnis per singulas partes repetatur, reciteturq;.

II. Evangelii dominicalis sequatur expositio. Dictentur & adscribantur ex Bibliis dicta cum Evangelio convenientia.

III. Disturbati bonorum autorum versus propositi. Sensus plano

plano, & facili redditi dentur, restituantur, & à præceptore perlustrantur. Hic tantum esto.

S E C U N D A C L A S S I S.

Hactenus quasi lacte nutritivimus adolescentem tanquam Cornelix uberibus adhuc adhærentem Sempronium. In secundò verò gradu commutandus modicè cibus; & educendus ad æquales robustiores ad Poëtarum & Græcorum filios, ut his adsuescat coludere; sed ita, ut socios superioris ludi, atq; æquales non deserat, neq; obliviscatur eorum, quæ audivit, didicit, egit in proximo ordine. Vide Lud. Laving. sub. clas. 2.

I N G E N E R E.

Omnino statuet fidelis præceptor, sibi & hoc incumbere, ut consideret, quæ vitia passim vel irrepant, vel suppullulent, apud suos discipulos, ut tempestivè his obsistat, & ab istis deterreat incautos animos. Quod cum in omnibus ordinibus; tum verò imprimis in S E C U N D O maximopere est necessarium. Quod ergo sub 3. & 4. ordine constituimus, hic serio sit magistro injunctum. In hac enim classe, ut ex Plauti Trinummo dicam,

Mores mali quasi herba irrigua

Succrescunt uberrimè

I. Sit ergo hic summa rerum P I E T A S & M O D E S T I A, quæ mirè non solum ornant scholasticos; sed & omnibus reddunt acceptos.

II. Cura altera, ut maturè, & ante preces conveniant singuli; nec dimittantur nisi hora finita. Paulo serius inchoare labores publicos, finire maturius, est fraudulenter facere opus Domini; & inferioribus classibus negligentix præire exemplo.

III. Cura tertia, ut invicem, & præcipuè cum præceptore loquantur latinè omnes. Nullum enim est Latinæ facundix magis præsentaneum medicamentum, quam hoc exercitium. Sti-

D

mulen-

mulentur ad hoc adolescentes modo præmiolis, modo contentionem & æmulatione. Modo laudentur & evehantur. Conabuntur sic exprimere, quæ audiverunt. Et quemadmodum audiverunt alios loquentes, quos putent eruditos esse, attentè auscultatos, sic & loquentur ipsi. In quo est imitatio, res in studiis non parùm utilis, præsertim teneræ ætati, quæ nihil melius, quam imitatur.

I N S P E C I E.

D I E B V S L V N A E E T M A R T I S M A N E.

I. Regina, & princeps rerum omnium præstantissima est **P I E T A S**, cui reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet. Ideoq; initio operarum à pia cantilena factò, aliqua recitetur Catechismi Lutheri pars, & Psalmus ex Buchanani paraphrasi. Hinc auspicietur Conrector priorem Grammaticæ Philippæ partem, accurata, interim neutiquam laboriosa & proluxa explicatione, eorum imprimis quæ sub exceptionibus continentur, quæq; in tertia tribu non didicerunt. Et hoc est unum in præceptoris officio custodire, retinere & conservare; ea quæ didicerunt: alterum videre & considerare atq; etiam commentari, quæ superioribus addenda sunt, & quæ sunt reliqua facienda sequentibus. Est etiam tertium, ut ne superiorum definitiones, partitiones, & earum verba nedum sententias immutet, facilitatem in omnibus sequatur. Turpe est putare, ait Sturmius, hos Grammaticos conatus esse difficiles, cum patrium sermonem prius adolescentes usurpent, quàm se didicisse sentiant.

II. Epistolæ Ciceronis minores l. 2. & 3. simul & Dialogi Iod. Lud. Vivis per vices exponuntur, Analyfi Grammatica à tertio, Conrectore interim primam curiam occupante conjunctis tertianis & secundanis, ut sub tertiæ classis constitutione præceptum est.

Qui

III, Quia ex tertia classe prima Linguae Graecae rudimenta attulerunt Pueri; debuerunt certe, nec progredi citius ad hanc classem, plenior ejusdem jam instituenda ex Golii Grammatica expositio, simplicia declinando conjugandoq; didicerunt? Discant nunc etiam contracta, quae vocantur, & accentuum, casuum, personarum, temporum rationes, formationes, atq; discrimina, nec quicquam sit in his obvium, cujus rationem reddere non possint. Dialectorum quoq; & verborum Anomolorum hic aliqua habeatur, atq; Syntaxeos ratio; ubi ea in primis inculcanda, quae Graecis singularia, diversa sunt à Latinis. Quae omnia industriae Praeceptoris rectius, quam huic committuntur constitutioni.

A meridie.

I. Nihil tam officit discentibus, quam unius, ejusdemq; artis & scientiae Praeceptorum varietas. Ideoq; Cl. Stur. nihil quicquam in ejusdem artis praceptorum Definitionibus, Partitionibus, & verbis esse immutandum scribit. Quod si ita, ecur diversi ejusdem artis autores in eadem admitterentur schola? Quocirca, ne in eadem arte praceptorum multitudine obruatur juvenus, M. Cyriaci Schnegassi Musices l. 2. à Cantore, praemissa tamen Oda aliqua sacra Biblica Hebdomadica, ve etiam Catechetica M. Lud. Helmboldi, exponatur, eam methodo, quam ipse tanquam huius scientiae Orpheus aliquis noverit, fore, ut istius studiosi ad gloriam DEI, & publicum bonum, exaedificentur quam plurimum. Potest etiam Cantor magno cum fructu Erotemata Musicae Practicae & Poeticae Ioh. Thomae Freigii I. V. D. ac Philosophi celeberrimi recognoscere, cum aliis ejusdem subjecti conferre, exemplis illustrare & alternis vicibus proponere. *Μελοποιία* Sethi Calvisii privati erit laboris & studii. Et cum à divinis rebus, quibus interesse mente religiosissima decet, omnis abesse debeat levitas;

ecquæ impietas, eandem sub DEI, angelorum, & Sacrosanctæ Ecclesiæ conspectu in divinâ admittere Musicâ, & harmoniâ? Cum gratia cantare jubemur ab Apostolo ad Coloss. 3. 16. Et quia ad excitandos in verum precandi studium, ardoremq; animos introducta est in Ecclesiam Musica, ad GRAVITATEM attemperatus sit cantus necesse est, si utrumq; excitare simul etiam GRATIAM, quam dixit Apostolus & DIGNITATEM sacris actionibus conciliare debet. Quem finem si assequitur in Ecclesia Musica; nihil dubium est, quin opus sit & sanctissimum & saluberrimum. E contrario quicunq; ad suavitatem duntaxat, auriumq; oblectationem, atq; adeo levitatem compositi sunt cantus; quamvis piissima quæq; sonent verba: Tamen Ecclesiæ majestatem minimè decent, & non possunt non DEO maximopere displicere & populum offendere gravissimè. Quapropter Cantor ab omni Italorum temerariis si quæ sunt & tripudiantibus compositionibus, ne quis potius istis offendatur, quam ædificetur, deinceps planè abstinere, & quod pium, quod grave, quod dignum, à veteribus insigniter excellentibus Musicis, Orlando, Clemente Uttendalio, & aliis recentibus compositum est, decantare.

II. Comœdias Terentianas superioribus duabus curiis conjunctim enarret Conrector: in quibus celeritas adhibenda, & vitanda omnis mora non necessaria. Romani duos docendi modos habuere, inquit Sturmius Class. secunda Lud Lavingani, quorum Commentationis, & prolixioris dictaturæ, erat unus, cuius mentio apud Iuvenalem. Sat. 1. v. 1. est,

Semper ego auditor tantum? ——— ———

Celeritatis, & velocitatis, sive brevitatis atq; festinationis alter, qui præcipuè erat Poëtarû; qui non consistebat solum in lectione, & recitatione; Verum etiam in significatione, vel acutæ sententiæ, vel obscuræ, vel artificiosæ, in ordinis etiam, & collocationis indicatione positus erat. Quæ docendi ratio hic potissimum valeat,

leat,

leat. Interea verò dum exponuntur, etiam mandentur memoriæ, & à distributis personis ad singulorum Actuum finem in scholasticum tantum theatrum sistantur Comœdiæ, ut, si opus sit, hoc exercitio apparatus ostendi etiam possint in publico. Difficile creditu, & tamen verum est, quantas res, & quàm multas queat affequi discipulus hac ope, & exercitatione, ait Sturmius, l. 3. Ep. Clafs. de Comœdiis.

III. Cujus momenti sint Theognidis sententiæ vel solius magni illius Germaniæ luminis Ioachimi Camerarii autoritate pateret, si absq; Xenephontis illo apud Stobæum serm. 218. foret: Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τῆς μεγαρέως, οὗτ' ἔστι δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποιήται, ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων. Quam utiles ergo istæ sententiolæ sint juventuti, ecquis est, qui non videat? Has Conrector analysi solum Grammatica interpretetur, & sicubi fuerit opus, simili illustret loco communi & sententia.

D I E M E R C V R I I.

Post solennes preces, quarum paullo ante mentio, totus hic antemeridianus detur exercitio Stili: qui exerceri hic, & acui, & poliri eò magis debet, quo pluribus, quam in inferioribus proximis gradibus duobus, verbis & præceptis, & exemplis indigent adolentes, Hypotheses etiam poterunt esse longiusculæ. Veruntamen membris non disturbatis, multo minus Periodis. Comprehensiones ipsæ sint confertæ rerum verbis, quæ unius generis, non omnis, & quæ varietatem vel requirunt, vel patiuntur. Interdum aliquem Oratoris locum Germanicè interpretetur Magister, ut subito latinum in ipsis scholis faciant discipuli. Quod dicendi facultatem auget, ingenium acuit, & efficit, ut non ipse; sed Orator adolentis sit emendator, & Magister. Vide Ioach. Camer. in Exerc. Reth. f. 45. & seqq. Imò verò alternis vicibus Græcum aliquem contextum in Latinum, & Latinum in Græcum convertant, quod mirabile est, quam ad utriusq; linguæ pro-

fit cognitionem. Et cavere hic præceptorem omni studio oportet, ut quam domi conficiendam proposuit publicè discipulis materiam, ne publicè demum describant, cum est exhibenda. Domi elaboratè descriptam offerre sine morâ publicè, proprii martis, & singularis est cujusdam studii argumentum. Immò verò annitetur sedulo & enixissimè, ne quisquam suum scriptum secum auferat domum non emendatum: quod desidiâ parit, & hujus adfert exercitii tædium maximum, & adolescentes tantum non planè remoratur, atq; impedit.

*DIEBUS IOVIS, ET VENERIS
